

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 14. Februarij.

M. MICHAELE POINSSART

DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An ab uno ſanguinis calore vitæ munia?

I.

SPIRITVS, cui non una eſt ſubjecta notio, pleriſque Medicorum corpuſculum eſt obtutum fugiens, miræ ſubtilitatis ac pernicitatis, è purgatiſſimo ſanguine exquiſitè elaboratum, & ad abſolutiſſimum nitorem perductum, cœleſtis, ut quibuſdam placet, originis & naturæ, animæque nodus ac vinculum, ad omnes utriuſque functiones obeundas, vireſque ac poteſtates ultrò citròque traducendas perneceſſarium. Triplicis id generis, è cerebro, corde, & jecore, velut è triplici, ut aiunt, facultatis fonte jugiter hauſtum per nervos, arterias, & venas admodum multas, quaſi per rivos ſibi à naturâ deſtinatos ocyùs oculi nictu in extremum corpus excurrit, quoquoverſumque diffuſum, præter illas quas explet geſtiones, ab ortu inſitum & cujuſque partis proprium ſpiritum continuò fovet, reficit, ac inſtaurat. Ita illi

egregiè consultum putant animæ, dum ei perinde ac Satrapæ tot tamque varios ministros, apparitores, nuntios & satellites assignant, ignari quàm se isto commento impediant, & in quos se induant laqueos.

I I.

QVI negant corpus & animam dispares naturas, puram scilicet cum impurâ, immortalem cum mortali posse coïre societatem absque mediæ cujusdam naturæ interjectu, reddunt fabulam Academicorum exulem animum, quò corpus tenebricosum carcerem incolat, non uno illustri corpore priùs amicientium. At te, nisi jam versus es ad scholam mentemque meliorem, quæso formæ & materiæ animæ & corpori sic à naturâ comparatis, ut & mutuo semper amore & incredibili conjunctionis studio flagrent, quid opus est parario spiritu quo concilientur! Nihilo melius de sapientiâ merentur, qui animæ rei tam divinæ, toti corpori singulisque ejus partibus totam se exhibentis, præsentissimæ, per seque nunquam non ad agendum expeditæ facultates (quasi huc illuc oberrent & discurrant) quocunque deportari prædicant vectore spiritu. Sed nec geminâ istâ provinciâ à rerum prudentibus spoliato id negotij datum, ut præsto ubique sit animæ quodlibet officij munus exequenti. Intimum nec ab illâ aut à corpore aliud, disjunctumque esse oportet, cui partes istæ delegentur.

I I I.

NATVRA, vel si clariùs potestas Dei ordinaria, ut rerum procreatione locuples ac copiosa, ita principiorum paucitate parcissima, nunquam in viventibus otiatur, quandiu bene habita membra minimè deficit salutaris ille calor, quo vita tenetur ac definitur. Hujus unius principis instrumenti animæ morem gerentis operâ partes omnes pulchrè absolvunt descripta sibi munera. Is è cœlo primùm ductus, nec tamen specie ab elementi calore diversus, perpetuo in viventibus agitatur & micat, summasque habet ad vitam opportunitates. Equidem nimius torret, vastat, conficit, malèque perdit omnia: at certâ moderatione temperatus rebus formas inducit, animam glebis infundit, ex ovis pullos excludit & animat, stirpes alsias hyemis inclementiâ propè enectas sustinet ac recreat, artus frigore rigidos restituit; hoc ferrum concoquit passer marinus, calculos gallina, cicutam sturnus, helleborum coturnix, sic denique inter dissidentes quali-

tates reliquas eminet omnium facilè princeps, ut quæ opinionem ſuperant ejus effecta, formæ naturæque proprietati attribuant plerique homines admiratione quadam ſtupidi. Idem tamen quantumvis actuoſus, quia fugaciſſimus promptè vaneſceret, ſi nullum haberet ſibi ſubjectum corpus cui inhæreret. Fuit igitur ipſi quærendus tanquam in foco fomes ſtabiliſque ſedes, unde manaret aſſiduè.

IV.

NVLLA res, nulla ratio cogit ortum ſpiritibus præcarium fœnerari, in vitæque ſcænam advocare tot à ſanguine diſtincta corpuſcula, tam tenui textu prædita, vel tam ſubtili filo deducta, ut ſolidiſſimas quaſque partes penetrando ſubeant, calorem delatura. Vnus ad eam rem ſatis eſt domi, & apud nos primò natus ſanguis, vitæ lar, fons & conſervator, ſummi rerum opificis quaſi vicarius, extorum ac totius corporis, ævi longioris, ſomni, vigiliarum, ingenij, ſapientiæ, animi permotionum autor, caloriſque germana ſedes ac vehiculum, ejus quippe acceſſio & abceſſio calorem adducit & abducit. Quomodo ſtolida graviſque terra frigore contracta torperet; niſi deorſum è volubilis ac in orbem incitati cœli culmine in eam ſe calor demitteret: ſic immota rigerent membra; niſi ſanguis ſolis inſtar ipſis ſuapte vi calorem infunderet. Ejus præſentiâ colluſtrata calent, florent, vigent, ſplendent; eo vel è corde, pulmone, jecore, liene, renibus-ve expreſſo pallent. Planè ſanguis cum animâ, aut, ſi mavis, anima cum ſanguine nihil non perficit in corpore, minimoque momento in hanc illam-ve partem impellitur; ut unâ eademque viâ ſanguiſque animuſque ſequantur. Nec magis ab illo divelli queat calor quàm vita. Propterea in viventibus nullibi non reperitur; utque non paucæ animantes vitam colant defectæ corde, pulmone, aut aliorum viſcerum mole: in vitâ tantiſper manere nulla poteſt abſque ſanguine, ei-ve cognato humore caloris participe, quo tanquam vitali ſucco continenter irrigetur.

V.

SANGVIS extra venas caloris inops, cruor eſt, res ignava; ſuis in vaſis admirabilis. Dant hæc ipſi aditus ad quoſvis partium receſſus, vel ipſo jam albeſcente referti nervi à cerebro, ſicut venæ & arteriæ à corde, tracti vel profecti in omne corpus ducuntur, quos ſi pupugeris, tam copioſus, tam liquidus effluet, ut non facilè ſiſtas. Perperam igitur illic quæras qui curſent, qui

toties in viam ſe dent, redeantque ſpiritus puritate, ſplendore, illuminandi poteſtate nitentes, perperam & in cerebri ſe ſe cum arteriis ſtringentis laxantiſque medulla, aut cavernis, per quas tantùm uberrimi quod ab illis hauſit alimenti purgamenta defluunt, ut ad mentem quæ in ejus arce habitat velut in cœlo Deus, ſenſus ex omni parte vix comprehenſibili celeritate conveniant, pulſus longo itinere deſcendit vagus ſpiritus. Haud ſecus ac in fidibus ſonum qui unâ duntaxat in parte elicitur, totus refert remittitque bene contentus nervus; ſi relaxetur aut aliquid interſeptum ſit, mutus inerſque fit: ita ictis nervis (qui cerebri propagines ſunt, imò ipſum ſuis ſeptum membranis cerebrum ad extremos artus productum) niſi quod illi vitium duxerint, eodem temporis momento fundit ſe continuata pulſio ad intima cerebri penetralia, in quibus ſedens anima capit rerum omnium cognitionem, de illiſque veluti de cella ac tribunali pronuntiat. Ne multa, ſtat firma partium conjunctio & in unum conſpirans vigor, flagratque in membris in quibus debet eſſe, vivus & quaſi ardens ſenſus, quamdiu relinquitur illis liberum cum ſanguine & calore commercium.

Ergo ab uno ſanguinis calore vitæ munia.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus de Laval.	*M. Ioannes Baptiſta de Revelois.*	*M. Nicolaus Matthieu.*
M. Dionyſius Dodart.	*M. Fabianus Perreau.*	*M. Iacobus Renaut.*
M. Dionyſius Puylon.	*M. Edmundus Charrier.*	*M. Nicolaus Langlois.*

Proponebat Lutetiæ IOANNES ROBERT Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIX.

PARISIIS,

Ex Typographia F. MUGUET, Regis ac Illuſtriſſ. Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi, viâ Cytharæ, ad Inſigne Adorationis trium Regum.